





1. Benner f. Joh. Henr. f. diff. de genitu Calphi  
surpirantij libertatem, Gifff 1737.
2. Bernd f. Joh. Grae f. diff. de primaria; qui res-  
dam verficari Syriacæ virtutibus in  
querundam N. T. locorum confusione, Halle.
3. Bernholdi f. Joh. Baeth f. diff. de causis cur-  
homo Christianus in hac vita ad perfectam  
Sanctitatem pervenire non possit. Actorfi  
1732.
4. —— Diff. de simone typō Christi, Actorfi  
1740.
5. —— Diff. de fiduci formularum justitia,  
Actorfi 1737.
6. —— Diff. de Christiane Ecclesiæ nomine.  
Actorfi 1731.
7. —— Diff. de p̄cunio spirituali,  
Actorfi 1730.
8. —— Diff. de salvanda per filiorum  
generationem subliere. Actorfi
9. —— Diff. de rudentia pastorali; Actorfi  
1735.

78  
PARTICVLAM HISTORICAЕ THEOLOGIAЕ

H. E.

# PROTEVANGELIVM PARADISIACVM

GENES. III. 15.

A STROPHIS ET PERVERSIONIBVS DO-  
CTI CVIVSDAM PATRIS IGNATIANI

VINDICATVM

PRAESENTE  
DOMINO

IOH. BALTAS. BERNHOLDO  
SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. PRIM.  
H. T. TERTIVM DECANO NEC NON ECCL-  
SIAE ALTORFINAE ANTIST.

PATRONO AC PRAECEPTORE SVO  
AETERNUM VENERANDO  
DIE XVII SEPTEMBR. A. E. C. CIC 10 CCXXXII.

AD DISPVLTANDVM EXERCITII CAVSSA

PROPONIT

AVCTOR ET RESPONDENS  
GEORGIVS LAVRENT. GOTTLIEB  
REIZIVS  
MARCOBREITA FRANCVS.

---

AL TORFII  
LITERIS IODOCI GUILIELMI KOHLESII ACAD. TYPOGR.

VIRO  
PRAECELENTISSIMO AMPLISSIMO  
CLARISSIMO QVE  
DOMINO  
M. IOANNI LEONARDO  
LENZIO,

GYMNASI OERINGENSIS HOHENLOICI  
RECTORI ET PROFESSORI CELEBERRIMO  
EIVSDEM QVE SCHOLARCHAE  
GRAVISSIMO

AVVNCVLO ATQVE PATRONO SVO  
PERPETVO HONORIS ET OBSE QVII CVLTIV  
PROSEQVENDO

HOC  
PIETATIS ET OBSERVANTIAE SVAE SIGNVM  
QVA DECET MODESTIA

OFFERT ATQVE CONSECRAT  
RESPONDENS.

**A** Gebat Marcobreitae , quam patriam veneror ,  
civis honestus , DANIEL WERNERVS , pelli-  
lio , qui iuuenis in peregrinatione sua , pon-  
tificiorum seductus blanditiis , ut aiebat , apud  
Alfatos , veritatem Evangelicam deseruerat .  
sed per B. BEBELII , Theologi quondam Argentoratensis fa-  
migeratissimi , conciones et libellos elencticos , quibus le-  
gendas multam dabat operam , errorum convictus , et salutari  
poenitentia ductus , se nobis iterum adiunxerat . Hic  
ad suos in patriam reversus nihilominus uxorem ducebat  
e Romano - Catholicorum coetu , cui Margaretae Oeffne-  
riæ nomen erat , et illam adhuc sponsam , in Monasterium  
Capucinorum Oxoniense , Breitensibus vicinum , ubi noxas  
confiteri sueuerat , cornitabatur , a nonnullis Patribus , Mo-  
nachis , religionis causa , vehementer solicitatus , quibus au-  
tem sic respondit ac satisfecit , ut tandem senex quidam gra-  
vis et integer ei quasi in aurem diceret : Bene sentis , mi fili ,  
DEVS te seruet et confirmet in fide tua ! Sic igitur ex pu-  
gna victoriaeque testimonio factus animosior , admodum  
constantem se deinceps praebuit in sacris Evangelicis , et  
multas uxoris cohibuit superstitiones . Tandem u. tabe con-  
fessus obiit Ao. 1709. d. 8. Iun. Aet. XLIX. Bonum hunc  
virum in morbo , qui diuturnus admodum erat , optimus  
Parens meus , M. Io. Adam. Leonh. Reizius , Pastor loci , non  
raro visitavit , quod m. d. 1708. factum , ubi simul  
accidit , ut eodem tempore pontificiam eius uxorem intui-  
seret Iesuita quidam Herbipolensis , nomine Franciscus  
Haimb , Sesslacensis , autor Schyvarzenbergae gloriosae (licet  
haec fratri Joh. Henrici Haimb , I. V. Cand. praeferat no-  
men) Vir aetate florida , 30. circiter annorum , doctus et  
modestus , cui dictus pellio , varia de religionis chri-

stianae capitibus cum patre meo placide differenti, praesertim in Articulis de iustificatione, sanctorum inuocatione, certitudine salutis &c. ita contradixit, ut hominis plebeii notitiam et soliditatem non solum admiraretur genitor, sed et potissimum aduersarius, pietistam eum uideri dicens. Hunc uero non parum uulgatae uersionis Bibliorum laudes decantantem, statim ex Gen. III, 15. refellere parens dilectissimus allaborauit, rationesque suas breuissimo deinde epistolio, cuius tamen exemplum haud asseruauit, repetebat; unde sequentes Epistolae responsoriae Docti patris Ignatiani natae sunt, ad quas, antequam responsum acciperet, ut mihi narratum est, MOLZHEMIVM abire iussus, fato praematufo, mundanis rebus ibidem ualedixit.

I.) Epistola prima, eademque breuior, ita habuit:

Eximie, Doctissime ac plurimum venerande Domine! In ipso Archi-Satrapae Schyvarzenberg. hesterno ad aedes nostras accessu Dominationis suae amicas litteras accepi, ex quibus collegi, Dominationi suae placere cognoscere **תְּנוּמָה** siue hebraicam nuperrime uentilati textus explicationem. Adiecissem eam in praesentibus, nisi praefatus Dominus tam in prandio, quam in coena nobis praefens calamo nostro obicem posuisset. Accedit, quod hodie summo mane, commodam noctis occasionem, rhedam nempe aulicam Herbipolensem ad pristinam meam stationem Herbipolim avocor; ubi, si Dominatio sua, pro suo in me affectu, ueniam dederit, ad omnia, quae in suis ad me postremis nosse placuit, respondebo. Spondeo insuper, me cum eodem responso Dominationi suae, iuxta datam fidem, missurum esse Schyvarzenbergam gloriosam, qui de reliquo,

Dominationis suae permaneo

servus addictissimus

**פָּרָנָקִים הַיּוֹם**

P. S.

P. S. Folia, quae sua Dominatio heri cum litteris mihi transmittere placuit, Heribaldi perlegam, eaque perfecta, cum responso, quantocuyus remittam.

In hisce litteris tria notanda veniunt:

1) Virum alias eruditum fontes Ebraeos; ad quos parens meus prouocauerat, uelut alii loquantur, textum masorethi-  
cum, qui punctis gaudet, confundere cum **הַרְנוּם**, seu in-  
terpretatione chaldaica, quae non unius generis habetur, sed va-  
ria. Vid. de **הַרְנוּם** Hauemanni Wegesuchte in Append.  
p. 588. sqq.

2) Latinitatem eius non imitandam esse, praesertim in istis  
loquendi modis: Dominatio sua; quae in suis ad me postremis  
nosse placuit (pro significare); et, quae sua Dominatio mihi  
transmittere placuit.

3) Per folia transmissa nihil aliud intelligi, quam Disputatio-  
nes academicas Patris mei.

II) Epistola Iesuitae altera, et quidem hebraice scripta,  
litteris rotundis et vulgo ludeorum usitatis.

Quam litteris quadratis nunc exprimimus, maioris eviden-  
tiae causae:

וְיִהְיֶה  
בְּשָׁמָן

אליך שלום וחימם וכל טוב אהן אדרון ר' יין נשלוח שלחת  
על ירך אדרון החכם אהובי האלוף ר' יין אשר צל הרנוס  
בבראשית מעשה י' הנקיה אשר ככח נקרה: ואיבכה אשית  
בין ובין האשה ובין זרעך ובין זרעה הוא יושופך ראש  
ואתה תשופנו עקב: אחד ביום שאלתי אותו אבקש: הא  
בها תלי את מענה לשן על ספרי אשר מראה אותה:  
לסוף יפתח האלאת ארבות השמיים וירק ברכה עד בליך  
ד' לך ולכל בן ביהך נתתי

אוב  
A 3

בוירצבורג לערכ שבת ים טוב לא יומם טבת און

פראנקיסקום היי

המלמד חכמה האלהות מהבר יהושע

Postscriptum exhibet epistolium Germanicum, iuxta  
vulgarem scriptionem Iudaeis usitatum, ac ita sonat: Ich  
schicke hier zugleich Thro Herrlichkeit die Historie von  
Schwarzenberg/ für die mir übersendete Sepharim (Bü-  
cher/ oder Schriften) welche/ wenn ich werde gelesen ha-  
ben/ werde ich meine Antwort darüber schicken;

At ipsas litteras, quae praecedunt, idiomate hebraico con-  
scriptas, et variis, qui legerunt, non eodem plane modo intel-  
lectas, nos ita reddimus:

Iehova

Vita mea.

Pax TIBI et uita, et omne bonum, (אֵת אֲהַנְּן) quid sibi uelit,  
nescio, non nemo uertebat, huius; at ego crediderim, uel  
legi debere (כִּהּן), quia et בְּ eodem fere modo pingere so-  
lebat autor uel **ארני הנכבד** honoratissime Domine REIZI.)  
Studio ad TE transmitto, Vir doctissime, carissime mi Do-

mine Magister REIZI, אשר גַּעַל cuius memoria iustitiae sit  
benedicta, Targum Genesios emendatus manuscriptae, in  
quo sic (hoc modo) legitur: Et inimicitiam ponam inter te  
et inter mulierem, et inter semen tuum, et inter semen  
eius, hoc (iuxta vulg. ipsa) conteret tibi caput, et tu con-  
teres illi calcaneum (iuxta vulg. insidiaberis calcaneo eius.)  
Iamque unum mihi expeto, et exspecto (nam alterum ab alte-  
ro pender) respcionem, ad epistolam meam, quam ostendo  
tibi (nonnemo transtulit: quid videatur Tibi?) Caeterum  
aperiat DEVS fenestras coeli, et depluat (effundat, exserat)  
benedictionem quam copiosissime tibi, et omnibus dome-

sticis

Sticis tuis (filii in domo tua.) Dedi Würzeburgi (Herbipoli)  
circa vesperam Sabbathi, die Festa (bono) 21. Decemb. 1708.

FRANCISCVS HEIM, Doctor Theologiae  
(sapientiae diuinae) ex Societate Iesu.

Inscriptio:

לעִיר מַאֲרְכָּרִיט

לֵיד אָדוֹן חֲכָת וְנוּבָן אִישׁ

מֶלֶא חֲכָמָה הַאֱלֹף כָּמֶר יְהוָן אָדָם

לְיִנְהָרֶד רַיִץ יָצָו

ופנין

Hoc est:

Ad urbem Marchbreit.

Ad manum (manus) Domini sapientis et intelligentis  
(prudentis) Viri, doctissimi Domini Magistri Iohannis Adami  
Lenhardi REIZII.

Abbreviaturarum prior <sup>"</sup> שְׁמַרְהָו צָוְרוֹ וְגַאֲלוֹ יְשָׁוֵן significat  
custodiat eum rupes eius et redemptor eius, i. e. QVEM

DEVS SERVET; posterior legitur <sup>"</sup> שְׁכַנְנוּ וְפֻנֵּין qui ruperit sepem, cum mordebit serpens, h. e. PER-  
REAT QUI RVPERIT LITTERAS. Vid. Buxtorf. institut.  
epistol. cap. 6. p. 60. et de Abbreviatur. p. 86.

Nunc liceat pauca quaedam ad istas litteras, parenti meo  
sub ipfas ferias natalicias bene redditas, obseruare:

Primo laudem haud exigiam meretur singularis viri  
humanitas, comitas et modestia, quae partim ex piis votis,  
partim ex honestis titulis parenti meo consecratis abunde con-  
stant; licet vox <sup>כָּמֶר</sup>, quam transtuli feruidus, etiam subdola-  
uideri possit, tanquam singularis, a <sup>כְּפָרִים</sup>, quo no-  
mine

mine sacrificuli Baalitici (*die Baals-Pfaffen/*) olim nota-  
bantur. Conf. 2. Reg. XXIII, 5. Soph. 1. 4. Hof. X, 5. Ni sic

abbreviatura בָּמֶר q.d. honoratissimi Domini Magistri. Dein-  
de nemo non cognoscit, eruditum hunc patrem Ignatia-  
num, praeter communem ordinis sui morem, in litteris he-  
braicis non omnino nullam operam posuisse, bonosque iam  
fecisse progressus.

**III. Litterae latinae prolixiores, et malae causae patro-  
cinium agentes, cum stricturis interlinearibus,  
e Schedis paternis, hinc inde collectis.**

Vix vigesimo primo huius ad terminum meum hic Her-  
bipoli peruenoram, cum continua Dominationi suae,

Haec loquendi scribendique ratio minus latina merito Scholis  
Monachorum relinquitur, haud imitanda.

Quoad explicationem textus Hebraici מִבְּרָאשֵׁית inter  
nos ventilati, gratificari volui. Priusquam uero calarium  
applico, Dominationi tuae omnem felicitatem in instanti-  
bus Festis appreco.

**En nouum humanitatis & amicae mentis indicium!**

Malleumque, dum de Hebraicis praeiens controvrsias  
agat, Hebraice potius, quam latine scribere.

Hoc ostentationem & jastantiam sapit.

Ne uero contra legem litterariam in Dominationis suae  
ad me amice datas peccasse arguar, enm Latino Latinus ero,  
cum pelasgo pelasgus, cum Syro Syrus, cum Hebraeo (si  
ramen ad id requiritus fuero) Hebraeus.

Ista vero nimium turgida videntur & plane Thrasonica! saltem  
specimen in litteris ante descriptis eruditionem, qua lit-  
teraturam Orientis, non adeo profundam & solidam  
arguit.

Immiscebo nihilominus subinde Hebraici nonnihil, quin  
paruam epistolam Hebraicam adiungam, quae tamen, ne  
sapient ostentationem, aut explicatio subiuncta (nimium lo-  
corum

corum biblicorum, in sqq. allegandorum) aut paruitas excusabit.

**Quasi longiores litteras nemo posset intelligere.**

Porro authores, quibus calamus noster innititur, uel Augustanae, uel reformatae confessionis amatorés erunt. Ita nimurum ex contrariis ueritas magis patebit, qua suffragante,

Hic apprime fallitur & fallit bonus Pater.  
tandem quod petitur, aggredior.

versus 15. Capit. 3. Genes.

אֵיכָה אֲשַׁיה בִּנְךָ וּבִן הָאָשָׁה וּבִן זָרָעָךָ וּבִן דָּרָעָת הָאָזָן  
שָׂוֶךָ רָאשָׁךָ וְאַתָּה תְּשׁׁוֹפֵנוּ עַקְבָּךְ

Hic in describendo ter attentionem debitam non adhibuit;  
nam loco בְּ in פָּתָח poscit Da-  
gesch, & sic etiam in קְרָנְתָּה ut hic impressum illud

vides. πρότερον ψεύδος autem residet in eo, quod pronomi-  
ni, Chirek paruum subiicit, cum tamen codices  
punctati, siue manu siue typis exarati, tantum non o-  
mnes, saltem optimi quique, habeant אָזָן, per Schu-  
reck, adeoque fine dubitatione masculinum, quod et  
iam LXX. Interpp. reddiderunt, αὐτὸς οὐ τηγάνει κεφαλήν.  
x. T. 2.

Vulgata nostra legit hunc textum ita : Inimicitias po-  
nam inter te et mulierem, et semen tuum, et semen illius,  
ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.

Verbum insidiari hic nimis seivnum est ac sterile, nec sensum  
divinum exhaustit, nam serpens infernalis non tantum  
insidiatuſ est Christi calcaneo, sed ipsam illi mortem,  
qua humanam naturam, persuam laſionem intulit. Es  
waren also keine bloße insidiae, sondern ein wirklicher und  
 tödlicher Zersetzung. Stich; nam κεισος δαρατωδεις ουση, i. Petr.  
III, 18,

Tota Disputatio in praesenti textu uersatur circa tria  
haec uocabula: **הוּא יְשׁוּבֵךְ תְּשִׁפְנָן**

Hic iterum per **בָּ** scriptum est indecenter,  
quae proinde explicamus, **הוּא** debet ita legi, ut **וְ** sumatur pro **וְ**

Sed ipsum **hoe**, **hoe**, **hoe** inquam, est **עַבְרֹעֲבוֹן**, quod asseruit  
se non sufficit; probari potius debuit firmis argumentis.  
Auctor quidem videri vult istud facere; uerum aliud  
agit, nihilque minus praefat, quam ut caput quaestio-  
nis tangat & firmet. Attende modo; nam ita pergit:

Uti saepe fieri patet

I. ex c. 2. v. 12. **מִבְּרָאָשָׁת** **הָוּא**, ubi ita legitur: **הָאָרֶץ** **הָוּא**  
terre illius, prout habent Biblia Hebraica Vitembergæ An-  
no 1586. impressa, et alia multa Biblia.

II. Genef. c. 3. v. 12.

**דֹאמֶר** **הָאָדָם** **הָאָשָׁד** **אָפָד** **נָחָתִי** **עָמָדוּ** **הָוּא** **נָחָתִי** **לִי**  
Et ait homo, mulier, quam dedisti mihi, ipsa (pro ipse) de-  
dit mihi.

Mirari satis neques uitiosam descriptionem horum uerbo-  
rum; siquidem non semel, sed ter in tribus uerbis erra-  
tum est enormiter. Nam 1.) posuit **נָחָתִי** pro **נָחָתִי**.  
2.) **נָחָתִי** pro **עָמָדוּ**. Neque uide-  
re possum ullo modo, si vel Argo perspicaciore esset, quod  
ipsa pro ipse ponatur, ut ille somnauit; est enim **הָוּא** pro  
**הָנָא** feminine, & tale nomen **אָשָׁה** requirit.

III. Genef. 12. v. 13. **יְפָה** **הָוּא** **סָאֵד** pulchra ipsa valde.  
uersu 14, haec leguntur.

IV. Genef. 14. v. 7. **וְיִשְׁכְּנוּ** **וְיִבְּאוּ** **אֶל-****עַיִן** **מִשְׁפָת** **הָוּא** **קָדוֹשׁ**  
uersique sunt, et uenerunt ad fontem Mispat (potius,  
Mischpat,) ipsa est Cades.

V. Genef. 17. v. 14. **וְנִכְרַתָּה** **הַנֶּפֶשׁ** **הָיָה** **מַעֲמִיהָ**. Et ex-  
eidetur anima illa de populis.

Me-

Melius : de populis suis, vel de populo suo.

VI. Genes. 20. v. 2. וַיֹּאמֶר אֶבְרָהָם אֶל שָׂרָה אִשָּׁרוֹ אֲחֵרִי הָאָזֶן  
Et dixit Abraham ad Sara, uxorem suam, soror mea haec.

Rectius : de Sara, uxore sua. In littera נְאָשָׁרוֹ abundant; nam  
requiritur modo Chirek parvum sub נ.

VII. ibid. versu 4. וְהוּא בָּעֵלָה בְּעֵלָה et ipsa maritata marito.

VIII. ibid. v. 12. Soror mea, filia patris mei, ipsa. אֲחֵרִי  
בְּתַ-אֲבִי הָאָזֶן

IX. Exod. c. 3. v. 8. מִן הָאָרֶץ הַהוּא אֲלֹא-אָרֶץ טוֹבוֹת

E terra ipsa (hac) ad terram bonam.

Poterat sine multo labore plura huiusmodi loca passim con-  
quisuisse, v. g. Gen. XXXV, 20. c. XXXIX, 1. Lev. XX,  
6. Deut. I, 9. c. III, 12. 18. 23. c. V, 5. c. XIV, 28. c. XVII,  
5. Cap. XXI, 3. 6. &c. sed quid inde lucratur? Equidem  
fatis confidenter infert;

Ex his textibus citatis clare ad oculum patet, quod הָאָזֶן generis masculini sumatur pro נְאָשָׁרוֹ.

Sed illud est, quod merito negamus & pernegamus; non enim נְאָשָׁרוֹ generis masculini, sed נְאָשָׁרוֹ generis feminini

(posito loco נְאָשָׁרוֹ) accipitur in allegatis textibus pro נְאָשָׁרוֹ, quia semper talia nomina respicit, quae feminini sunt generis, ut inspeccio docebit. Subtilius forte intulisset, נְאָשָׁרוֹ olim fuisse Generis Communis, pro sermonis Contextione explicandum; ast h. l. esse Gen. Mascul. obra-  
tiones mox indicandas. Tale quid iam suboluit SPI-  
NOZAE, in Grammat. coll. DANZ. Literat. C. IV.  
§. 36. Ill. not. h. p. m. 320.

Si ergo in his textibus id fieri licet, eccur non in uersu de-  
cimo quinto, cap. 3. Genes.

¶. Qui uoluerit animum advertere, rationem facile capiet. Ibi pronomen merito sequitur genus nominum; at hic nomen נְאָשָׁרוֹ, quod loco subjecti proximi, vel immediate praecedentis stare, nemo temere negauerit, est masculinum, cui etiam verbum in masculino genere שְׁפָךְ suffixo consimilis generis, respondet, ad-

eoque pronomen separatum *Nostri i. c. Nostri*, aliter intelligi non potest, quam in sensu masculino, reddique necesarior debet: Ipse (np. *Messias*) vel juxta genus latini uocabuli, *semen*, per neutrum, illud: illud ( ipsum uidelicet *semen*) conteret tibi caput, ut innatur uictoria Christi patientis & morientis contra serpentem infernalem, Diabolum, pro redimendis ab eius tyrannide hominibus, lapis per Adamum, &c.

Bene igitur in uulgata nostra Hieronymus legit: ipsa conteret:

Imo pessime sic legit, quicunque versionem illam adornavit, & parum abeat a blasphemia, dum sine omni causa et iure mulieri uendicat atque tribuit, quod tantummodo *Semini mulieris h. e. Christo*, humani generis unico saluatori, non *Mariae*, ceterum omni laude ac honore dignissimae, DEVS pater ipse, per connexionis rationem, luculenter adscribit atque vindicat. Cum vero doctus adversarius Hieronymum haud obscure uulgatae versionis autorem agnoscit, rem incertam statuit. Non enim defunt eruditissimi uiri, qui DIVVM illum, cuius filius purus admodum, elegans & terfus fuit, dictam versionem, saepius barbarem, & innumeris fere mendis scatentem, (uid. Calou. critic S. p. 334. Pfeiffer. Crit. S. p. 328. Leusden. Philol. Mixt. p. 8. Sauberti palaestr. Theol. Phil. p. 350. &c.) haud concinnasse, rationibus nequaquam spernendis contendunt, aut saltrem fatentur, etiam inter ipsos pontificios, e. g. Santes Pagninus, Lindanus, Stapulensis ( in praefat. comment. in Epist. Paul. in quiens: omnes, qui incolumi pollent iudicio, negant hanc editionem esse Hieronymi; nam Hieronymus eam redarguit & damnat, et autorem eius sape velicat, et inscitiae accusat, ita opus nominat, ut alienum; ita interpretem eius redarguit, ut alium. Est igitur caput Pertinax, quisquis aliter statuerit.) Joh. Reuchlinus, Laurentius Valla, Driedo, Sixtus Senensis, Erasmus &c. vid. Gerhard. Exges. Loc. Prim. de script. S. cap. XXIV, sect. V. p. m. 562. sqq. ubi hanc pugnam feliciter depugnavit.

Si

Si uero hic ex Hunnio, Lutherano, aut Junio et Wittackero, Caluinistis, Dominatio sua aliquid uellet obiicere, remitto eam ad Gretseri defensum Bellarminum, ubi fuse et solide, in Tomo suo primo, agit contra praefatos authores. Nequeo enim hodie, propter angustias temporis, ex libris multa conscribere.

Neque uidetur opus, illos aliasque peruolutare libros, cum ueritas diuina per se facile triumphet, certantibusque otium faciat, interius conuincendo, nisi quidem malitiosae ponant obicem.

Neque obstat, quod aliqui ex Catholicis legerint ipse, pro ipsa. Cum enim hi non vulgatae Authores sint, eos in hac arena non admittimus.

Hic subodoratur animus uafri non minus ac eruditii Loiolitae, nos ad viros doctissimos, etiam ex ipsis pontificiis, & curiae Romanae basiotoribus, provocare fidenter posse, dum illorum non pauci manus ultro dederunt in hac controversia, ueramque lectionem uobiscum agnouerunt ; quamobrem, ut obiectio[n]em anteverat, et uiam praeoccupet, eos vel ideo contemnit, quia vulgatae non sunt autores. Verum, qualis haec argumentandi ratio ? Num contra vulgatae mendas nemini uel hiscere, uel mussitare licet, ideo tantum, quod eius non sit Autor ? Ita quidem actum erit, de Eminentissimo Cardinali, Pavlicinio, qui contra P. Paulum declarat, Concilii Tridentini Antistites decreto suo vulgatam editionem ab omnibus mendis non regurgasse, cum adhuc castigari possit, imo & alia interpretatio accurrior haberri possit. Actum erit de Guil. Lindano, qui errores in ea animaduerit, quos non in librarios tantum, sed & in ipsum interpretem regerit ; actum erit de Petro Lompezie, Hispano Theologo, qui in libro de Concordia sacrarum editionum, Hebr, et graecae LXX, cum vulgata, non difficitur, in hac naevos adhuc superesse ; actum erit de Francisco Julio Brugenfi, qui in epistola dedicatoria, quam premisit notationibus suis in Biblia, sic loquitur : quod nobis ob-

fectant alii, cum uetus editio latina a Tridentino Concilio probata, atque authentica probata sit, nulla amplius opus esse castigatione, ridiculum prorsus est. Neque n. concilium editionis huius exemplaria erratorum experta esse iudicavit; actum erit de correctionibus, quae diuersis temporibus, iussu Sixti V. & Clementis IX. pontificum accuratae sunt. Deinceps nondum euictum reddit aduerfarius, auctorem vulgatae ersionis in loco quaestione, posuisse femininum, ipsa; quando quidem in multis olim codicibus, iisque haud contemnedis, lectum fuit ipse; prout lubens fatetur doctissimus Auctor Disquisitionum Criticarum, de uariis Biblorum Editionibus, A. 1684. Londini editarum, qui dubio procul est Richardus Simonius, annotante B. Serpilio, in personalibus Esrae, p. 225. vid. Placcii Theatr. Anonym. p. 104. sq. nam et si Vulgatae ceterum patrocinetur, tamen candide scribit, c. IIX. p. 53. Mosorethica quidem lectio eo probabilior uidetur, quod in multis latini Interpretis codicibus, et quidem bonaë notae, alias exsisterit ipse, non uero ipsa, ut in hodiernis: sed non statim damnanda erat ista lectio, ipsa, quod a Contextu Masorethico dissentiat. (En frigidam defensionem, quae nostram ueramque sententiam non labefaciat, sed confirmat potius!) fieri enim poterat, ut latinus Interpres in suo codice haberet נִנְיָן, ipsa; quia in scribendo hoc pronomine facilis fuit scribarum lapsus. NB.

Quid quod ipsi Confessionis Augustanae aut reformatae amatores in suis grammaticis admittant, נִנְיָן posse ponni pro נִנְיָן

De נִנְיָן uerum est, non de נִנְיָן

In D. Matthiae Wasmuthi Hebraismo restituto, et ab Opitio edito Lipsiae et Francofurti etc. c. 4. fol. 70. ita legitur: pro נִנְיָן semper in pentateucho est נִנְיָן, exceptis can- tum XI. Locis, in quibus est נִנְיָן.

Ita uero in fraudem puncta hic omittuntur; nam celeberr. Wasmuthus, (felicissimus ille Linguae Hebreæ & Di- uinas

tinae Accentuationis restitutor, ut passim audit merito suo,) dicit: pro נִנְשׁesse נִנְשׁוֹן, non vero נִנְשׁוֹן, de quo nunc disceptatur. Conf. Opitii Atrium Linguae S. Edit, IX. p. 50, ubi eadem e Wasmutho repetuntur. Evidem in Codice Bibliorum interlinear, apud CHRISTOPHOR. PLANTINVM A. 1572 excuso, pro נִנְשׁוֹן ipse, in gratiam uersionis vulgatae נִנְשׁוֹן ipsa, ut typo ex-scriberetur, curatum fuit: quae corruptela insigni sphal-mate typographico aucta insuper, נִנְשׁוֹן pro נִנְשׁוֹן in lucem prodiit; sed in secunda Editione A. 1584. uera lectio re-stituta, & masculinum נִנְשׁוֹן expresse positum. Vid. GLASSII Philol. S. lib. I. Tract. I. p. 3. seq.

Hoc idem habet Altingus, in suis fundamentis punctationis linguae sanctae, quae est editio sexta a Georgio Othonae edita, Francofurti, 1701. in Sectione sexta fol. 151. eius uerba sunt sequentia: Huc quoque pertinet, quod inter-dum scribitur נִנְשׁוֹן pro נִנְשׁוֹן I. Reg. 17. v. 15.

Hic iterum subdole נִנְשׁוֹן pro נִנְשׁוֹן ponitur, ut strophae mul-tiplicantur.

Et uicissim נִנְשׁוֹן pro נִנְשׁוֹן Gen. 3, 12. (quomodo semper scribitur in pentateucho, undecim locis exceptis.)

Buxtorff. in suo thesauro Grammat. edit. Basil. 1615. cap. 11. fol. 93. habet haec verba: נִנְשׁוֹן saepissime etiam scribitur נִנְשׁוֹן per נִנְשׁוֹן in medio. Ecce quid clarius?

Addere potuisse, ex Euangelicis, uetusissimum Gramma-ticum, IOHANNEM AVENARIVM, qui in grammaticæ ebraicae parte Tertia, Vitemb. A. 1575. in 8. edita, § 50. sqq. recenset voces, ubi, in medio scriptum legitur, et tandem p. 554 addit. Item נִנְשׁוֹן pro נִנְשׁוֹן ipsa, repe-rit plerumque coniunctum cum יְהָוָה terra, שָׁמָן ani-ma, וְעַד uicissitudo, וְעַד tempus &c. sed quid tum? Ego

sane mirari satis non possum atque demirari temeritatem & impudentiam (rei grauitas hic duriusculam vocem extorquet invito,) docti ceteroquin viri, qui vel scriptioris corruptione, vel rei prorsus indubiae, nobisque ne mini-mum

mum quidem adversantis allegatione, fucum parenti meo facere, quasi fungus hic esset, totus allaborauit.

Videt proinde sua Dominatio, illud nequaquam subsistere, quod nuper ad me placuit scribere, nimurum: pronomen masculinum נְמִן nequaquam posse per femininum, ipsa, exprimi.

At uero huius asserti contrarium tantum abest, ut per antecedentes rationes firmatum sit, ut potius illud adhuc firmostare tali subinde fortius persuadeamur.

Quid? pro nobis pugnent ipsi Masorethae, qui in margine Keri uktif ponunt, alia scriptio, alia lectio.

Fallitur iterum Pater Ignatianus et rectiora potuisset edoceri, si uoluisset, a Rich. Simonio, quem ante iam laudauimus, l.c. nempe Disquis. crit. C. IIX. p. 53. Ubi fatetur, quod in editis contextus hebraei codicibus non legatur נְמִן ipsa sed נְמָנֵה ipse, uel ipsum. Hic scribitur, inquit Sixtinus Amama (in Anti-Barb.) נְמִן non uero נְמַנֵּה, nec locus hic a Mosorethis notatus est: quasi uero (Simoni pergit) codicum omnium recensio a Mosorethis facta fuisset. Masorethica quidem lectio eo probabilius videtur, quod in multis latini Interpretis codicibus, & quidem bonae notae, alias exstiterit: ipse, non uero, ipsa, ut in hodiernis, &c. ut supra iam adduximus.

Nec obstat, quod uerbum נְמִן conteret, sit masculinum, quia uidetur Moyses studiose miscuisse masculinum cum pronomine feminino, ut indicaret, Deiparam non per se, sed per filium superaturam esse serpentem.

*En* נְמִן, quibus vir doctus uulneratam sanare causam allaborat, & glaucoma nobis obiicere! sed cum hic IE-SV CHRISTI, saluatoris et Mediatoris inter DEVVM et hominem unici, r. Tim. II, 5. honor in discrimin adducatur, et opus redemtionis magis quasi matri Deiparae, quam filio נְמִן tribuatur, dum illa tantum non ut causa principalis, hic v. tanquam organica modo, uel ministerialis introducitur, non possumus non etiam atque etiam contradicere tam in congruis loquendi modis,

qui

qui falso prorsus, ut iam satis apparuit, supposito superstruuntur (quasi pronomen femininum in textu Moysaco misceret, cum uerbo masculino.) Scripserunt quidem et alii, B. Virginem serpenti caput contrivisse, u. g. Bonifacius, Iesuita, tum et Bessaeus, Regius in Gallia concionator, locis a magni nominis Theologo, D. F. F. Mayero, citatis, in denen Ktogen des H. Ern/ p. 515. et 525. Nec non Seb. Fabricius, cuius Distichon;

Tu caput inferni fregisti Sola draconis,  
Virgineo calcans dira uenena pede.

Legitur in libro de anno Jubilaeo, Anno 1599. Venetiis impresso, cuius Auctor erat Rutlius Benzouius Romanus, Episcopus Lauretanus et Recanatenis, dedicans illum Pontifici Max. Clementi Octavo. Quid? quod ipse BERNHARDVS uulgata uersione deceptus scripserit: Maria astulit **opproprium matris Euæ**, et Patri pro Matre satisfecit, quod promittit Gen. III. ipsa contet. cui servanda est uictoria, nisi Mariae? Hom. 2. uid. GLASSII Phil. S. Lib. I. Tract. I. p. 3. Sed tantum abest, ut scripturae testimoniis illud probare queant, ut potius ubique sacrae doceant paginae, solum filium DEI I. C. pro nobis meritorie passum & mortuum, diabolum uicisse, regnum eius destruxisse, & nos a tyrannide huius infenissimi hostis redemptos libertati vindicasse. uid. I. Tim. II. 5. 6. Rom. III. 24. 25. c. V. 8. sqq. c. III. 32. 33. 34. Gal. III. 13. Eph. I. 7. c. V. 2. Col. I. 13. 14. c. II. 14. 15. 1. Petr. III. 21. 24. 1. Joh. III. 8. &c.

Et aliunde quoque frequens est Anallage  
Scribere uoluit Enallage.

Similis, ut illo Gen. 2, 23. **וְאַתָּה קָרֵב** uocabitur uigago, nunquid hic uerbum est in genere masculino?

Hic 1. uitiose posuit **וְאַתָּה קָרֵב** sumitur non

tam passiuæ; quam impersonaliter, manu' nennen / oder sagen, ut ad uirum nominaturum ita magis, quam ad mulierem nominandam respiciatur, uid. Michaelis Er-

Nichtete Hebräische Grammatic, edit. 1708. p. 103. vel 3.)  
subintelligitur **אֲשֶׁר** masculini generis: **וְקָרָא** vocabatur

(scil. nomen eius) **אֲשֶׁר שָׁמַת**, uirago, ut Jud. XI, 39.  
ubi legitur: **וְרָחֵל** et subintelligitur, **לִילִיבָה**. uel 4.)

ob excellentiam Originis, e uiro, **אֲשֶׁר** (generis femin.)  
iungitur cum masc. **אֲשֶׁר**, ita tamen, ut mox iterum fe-  
mininum sequatur: **בִּמְאָשָׁלְקָה וְאֶת**. unde pru-  
dens quisque lector facile iudicabit, enallagen illam, si  
vel maxime concedatur, ob diuersam plane rationem, ue-  
ritati adhuc assertae nihil praeiudicare.

II. Ruth. I, 8. **כִּי אָשֶׁר עֲשִׂיתָם עַם הָמָתִים**, quemadmo-  
dum fecistis cum mortuis NB. **עֲשִׂיתָם** fecistis, hoc est, in  
masculino, pro feminino.

Ad hoc exemplum notissimum nihil regerimus, nisi obserua-  
tionem Wasmuthianam, quae in Opitii atrio Linguae  
sanctae, edit. 9. p. 73, his verbis occurrit: Datur saepe di-  
fcrepantia generis, honoris & laudis uel exaggerendae rei  
ergo, Masc. pro femin. et contra uituperii et contemtus,  
vel et minuendae rei ergo Femin. pro Masc. usurpatur. Sic  
Ruth. I, 8. Noominibus suis: faciat Dominus **עֲשִׂיתָם**

(Masculin.) uobiscum, ut uos **תְּזַעֲרִישָׁנִי** (Masc.) fecistis  
cum mortuis. Contra Ez. XXXIII. 26. De viris effemi-  
natis: **תְּזַעֲרִישָׁנִי** fecistis (quasi mulieres) abomi-  
nationem. Inde nero quam nihil omnino lucratus ad-  
uersarius, dictu ne quidem opus erit; nam circumstan-  
tiae uariant rem & uerba.

III. et IV. talia exempla inuenientur praeterea, Esth. I, v. 20.  
Eccl. 12, v. 5.

Priori loco verbum masculinum **יְהִנֵּן** iungitur cum nomine  
fem. **נָשָׁנִים**; quia mulieres adhuc dominatum in maritos  
affectionuerant; e posteriori v. non video, quid praesidii  
voluerit exsculpere clarissimus uir, cum nihil huc fa-  
ciens ibi reperiatur. Imo, si uel centum enallages ex-  
empla

empla possent allegari, nihil tamen ad evertendam sententiae nostrae veritatem conferrent; non enim quaeritur: quid alibi fiat? sed quid, in praesenti, per subiecti praedicative rationem, obtineat?

Inde rufus patet, quod Dominationis hæc uerbæ iteratio non subsistant: sunt autem illa sequentia. Es heist ja nicht **דְּשָׁוֹת** sie wird zertreten / du den **דְּשָׁוֹת** der wird dir zertreten / &c. Si enim hoc subsisteret, cur in allegatis locis contrarium inuenitur?

Subsistunt utique parentis verba, per fundamenta cum grammatica, tum theologica; nec allegatorum exemplorum ratio sic habet, ut ueritati soli meridiano clarius illucescenti derogare queant: talia namque sunt subiecta, qualia permittuntur a suis praedicatis. Ibi satis aper-te de lexu sequiori haec et illa, per masculinum uerbum, enunciantur; sed in praesenti loco, caput serpentis infernalis conterere, non ad Mariam **ψιλάρδησσαν**, sed ad folum Christum **διάδημαν**, procul omni dubio, spectat. Huius rei tam certi sumus e verbo DEI, quam qui certissimi.

Manet itaque inconcessa nostra, in praesenti, Doctissimæ suæ Dominationis (Dominationi) data propositio: Bene habere nostram uulgatam, dum dicit; ipsa conteret.

Sed pessime habere uulgatam, ut in multis aliis, ita hoc etiam in passu, iam supra, uel ipso pontificiorum calculo satis superque demonstratum fuit; unde nihil addendum restat.

Possim hic allegare Hebraicam syntaxin, quæ non item asserit, masculinum cum feminino posse ponи;

Hoc suo modo nunquam inficiamur.

Quod uero hic in textu allegato ita ponatur,  
id negamus atque pernegamus.

Singularem, (ut iam supra annotauи,) in beatissima hac Virgine Spiritus Sanctus excellentiam significare uoluit, quam dum ad mille mortes (Das kann auf die Proban) defendere paratus sum,

C. 2

Quid

Quid si uerbis respondisset animus, ut apud Cornelium a Lape  
pide, qui martyrium aliquando uehementer optauit, sed,  
oblata occasione, studiosius effugisse legitur. Nobis  
Maria, Beatisima sanctissimaque Virgo, iuxta salutio  
nem angelicam, est ἀχαριτων γὰρ ἐν λογημάνῳ, Luc. I, 28.  
Luc. I, 28. hunc honorem ei nunquam non habemus, et  
merito uindicamus, ita quidem, ut mortem potius op  
petere, quam laudibus et dignitati Deiparae uel mini  
mum, uilo modo, detraetum uelimus. Ne tamen <sup>in</sup>  
<sup>la</sup> <sup>aperta</sup> ueneremur illam cum cum pontificiis, religio  
ne prohibemur.

Incidit mihi percommode, quod nuper in Hebraico  
Interprete super Jeremiam legi, est autem sequens: Haec  
duo nomina יְשׁוּ וּמִרְיָם apud Hebreos, ratione arithme  
tica, ascendunt ad numerum בְּרִית, quod idem est, ac pa  
ctum. Nam יְשׁוּ וּמִרְיָם continent DCXII. enim continet  
X. ט. CCC. 1. 6. et sic Iesu, יְשׁוּ continet CCCVI.

Scribere debuisset CCCXVI.

Iterum 1. continet 6. ב. XL. ג. CC. ז. X. ד. 40. et sic  
et Maria, hoc est, יְשׁוּ וּמִרְיָם continuum apud He  
breos DCXII. Hunc eundem numerum continet apud  
eos בְּרִית, pactum. Cuius quidem numeri non vulgaris  
mentio fit in Cabala.

Utinam Vir doctus Interpretetur Hebraeum super Jeremiam,  
ipsumque Prophetae locum, ad quem digitum inten  
dit, allegasset; nam illum nos diuinando forte non sa  
tis athuc assequimur. De Iesu Cabalistico, quo voca  
bula בְּרִית וּמִרְיָם, numerum eundem, nimis  
DCXII, continent, ita sentio: quod si tantum innuere  
uerit eius inuentor, in semine mulieris benedicto, fo  
etus diuinum iniri, uel Virginem Mariam peperisse Sal  
uatorem Immaculatam, tunc bene se habere omnia; sed  
si tanquam causas in negotio salutis meritorio socias con  
iungere Iesum et Mariam praefusat, nequaquam ferri  
posse. Nameo respectu potius ad uocabula יְשׁוּ וּמִרְיָם  
dicen-

dicendum erit: יְבָתָר (quae uox etiam anthmetice DCXII. comprehendit,) h. e. plane dissecabit atque dividet, quia non par est, IESum et Mariam hic iungi, siquidem ipse testatur: פָּרוֹהַ רַבְּחֵי לְבָדִי וּמִצְמָמָן אֲנָשֶׁנָּה.  
 h. e. torcular calcani solus, et ex gentibus nemo fuit mecum, Esa. LXIII, 3. Adeoque Saluator optimus, calcauit torcular omnino et unice solus, πονταλις, ut Symmachus apud Iustinum, Dial. cum Tryph. reddidit, fine ullo paraftata, ουρεψης, aut auxiliatore, uel auxiliatrice, quibuscumque. Cur igitur Mariam ei iungunt? Evidem in mariali, Ao. 1493, Argentor. per Marchinum Simium edito L. I. c. 3. fol. 13, fac. 6. sequentia terba leguntur: Ad ultimum fuit Dominus cum ea, et ipsa cum Domino, in eodem labore, et in eodem opere redemptionis, Mater redemptionis, Mater misericordiae, adiuuauit patrem misericordiarum in opere nostrae salutis, unde praedictum est de prima muliere: Faciamus ei adiutorium; quid ergo est, quod Dominus dicit Esa. 63: Torcular calcaui, et de fratribus non fuit vir tecum, sed mulier, Domine, tecum est; at cui non patet violenta Textus depravatio? Ut enim fortius neget Christus, quenquam sibi adfuisse, addit emphaseos causa: non fuit quisquam (neque vir neque femina, h. e. plane nemo) de populis mecum; et mox subiungit, quale hoc torcular sit, nempe non uarum, sed hostium. Unde pergit: Calcaui eos in furore meo, et conculcaui eos in ira mea, et aspersus est sanguis eorum super uestimenta mea. Conculationis autem uoce uitatur, tum, quia respicit primam promissionem de contritione capitisi serpentini, Gen. III, 15. tum quia victores solebant hostes deuictos pedibus conculcare non secus, ac racemi a vinitore in torculari conculcantur, vid. Jos. X, 22. seqq. Sic igitur hostes, Satanam mortem & peccatum vicit Christus, ut prius conculcaverit, & plenam de illis victoriam reportauerit,

taverit, ideoque solus, (NB. solus,) Maria virgine nihil  
quicquam adiuyante. Vide Quenstaedium, ex Varenio  
& Calouio, haec obseruantem, in System. P. III. c. III.  
Membr. II. Thes. 28. p. m. 226. et adde Disputationem  
integrar de Proteuang. contra Jac. Gord. Huntlaicum,  
in Glassi Philol. Lib. IV. Tract. III. p. 1395. sqq.

Quare si Iudeos docere uelimus Mariae Matris Messiae  
excellentiam, hanc, praeter innumera alia Scripturae loca,  
Cabalisticam obseruantiam iis ostendimus.

Eiusmodi quidem obseruationes Cabballisticae saepius ad il-  
lustrandum belle faciunt, sed nihil solide probant et  
euincunt, quia per alias consimiles, at plane contrarias,  
cludi facile possunt, v. g. Verpus hic regereret tibi verba:  
**שׁוֹרִי בָּזְמִי**, h. e. cane uitium meum: eundem numerum  
DCCXII. continere, quem nomina **ישׁוֹ וּמַרְמִים** dederunt.  
Unde doctissimus pater Ignatianus argumento tam fical-  
ne, contra parentem meum, super sedere potuisset, nisi  
strophas amaseret.

Inueniet illa loca et testimonia de Beatissime huius Vir-  
ginis excellentia

Quam intra ueritatis cancellos nunquam negauimus, nec ne-  
gabimus unquam,

Immaculata conceptione, &c.

de hac transfigendum ante cum Dominicanis eam impugnanti-  
bus, quam nobis occinatur, nulla, quae rigidum examen  
sustinere queat, ratione demonstrata, sed iure merito-  
que, nec non facilis negotio, convellenda. vid. Mayeri  
supra laudati Kriege des HErrn, p. 236. sqq.

Dominatio sua in Lib. 7. Galatini, ad quem dum Do-  
minationem suam remitto, excusabit me intuitu angustiar-  
temporis.

Non opus erat excusatione, licet optimus parens meus Gala-  
tinum ad manus non haberet; nam eiusmodi lusibus  
ingenii, qui nihil probant, nisi forte καὶ οὐδὲ τοι, adver-  
sus Iudeos, qui quidem illis delectantur, sine danno,  
facile

facile caremus. Evoluentibus interēm P. Galatini, potestentosi plagiarii, de arcanis Catholicae ueritatis librum VII. nihil occurrit, prater *ubrantur nuptiae aqua*, de Maria ante Adamum creata, in originali peccato non concipienda, menstruum fluxum non passa, post mortem statim resuscitata, una cum Filio in coelum empyreum assumpta, ad dexteram Filii Sedente, et gloriofissime regnante. Quae recitasse, est refutasse.

Si tamen ulterius requisitus fuero, ad honorem DEI patae defendendum, ecce me! unicum enim id gaudium meum est, si digneris me, laudare te, virgo sacrata, &c.

**Nollemus** eiusmodi defensorem, qui supra modum laudando honori benedictae DEI parae magis detrahit, quam uelificatur, et dum diuinās partes matri vindicat, in filium *Deus deus* iniurius euadit. Nos quidem merito lubentesque honoramus etiam, ac beatam depraedicamus omni tempore Mariam, *Luc. i. 48.* attamen unicum nostrum gaudium in laudibus eius non adeo cum Jesuita reponimus, ut obliviscamur laudum diuinārum, quae praecipue tamen et super omnia nobis incumbunt; unde cum vate sacro potius ingemiscamus: Benedicam Domino omni tempore, semper laus eius in ore meo, *Psalm. XXXIV. i.*

Cætera, quae Dominationi suae insinuare uolui, adiecta epistola docebit.

quae nimirum supra legitur.

NB. In allegatis textibus accentus nonnunquam (imo illos semper) et puncta omisi, si enim peritioribus scribatur, puncta saepè omituntur.

Hoc uel finē eius mentione constabat.

Quod si v. et hoc in me desideretur, non deero petitioni.

En liberalitatem haud necessarium!

□ in □ est ideo clausum, quia uerbum hoc hic solum scribitur, si enim iuxta Ieremiam scriberetur in contextu orationis, non clausum, sed apertum foret, et sic constituit,

stituit numerum 40. alium vero numerum constituit , si sit clausum.

Confuse ! Nam in textu Ieremieae **מִרְוָם** est sed in Gematria est **מִרְיִם** scribendum. Quia **ו** est nota 600.

Quia locus Jeremieae non allegatur , finē animadversio-  
ne transmittere possemus, ut ut forte non minus, ac re-  
liqua , stricturam aliquam requirat, vel mereatur. Qum  
uero ad Galatinum l.c. cap.18. nos remiserit, ubi citantur  
verba : **כִּסְאֵכְבּוֹד מִרְוָם מִרְאשׁוֹן**  
לְעַד-פְּנֵי-תְּהִימָה fundamenti loco supponit, uerum etiam  
**מִרְיִם** in **מִרְוָם** vel **מִרְיִם** in **מִרְוָם** nimis artificiose transformat,  
& nihil profrus agit. Vid. Ierem. 17, 12.

Atque his ipfis colophonem litteris imposuit doctissimus Pa-  
ter Ignatianus , quem fatis premauris concessisse non  
immerito dolemus, ob varias animi dotes , & modestiam  
principue singularemque docilitatem , quae spem facere  
poterat, eum argumentorum ponderibus conuictum, ue-  
ritati tandem locum fuisse relictum.

להוא שם ר' אלהא מכיך מןعلمא וערןعلمא



an 33.


01 A 6623





B.I.G.

Black



PARTICVLAM HISTORICAЕ THEOLOGIAЕ

H. E.

# PROTEVANGELIVM PARADISIACVM

GENES. III. 15.

A STROPHIS ET PERVERSIONIBVS DO-  
CTI CVIVSDAM PATRIS IGNATIANI  
WINDICATVM

PRAESENTE  
DOMINO

JOH. BALTAS. BERNHOLDO  
SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. PRIM.  
H. T. TERTIVM DECANO NEC NON ECCLE-  
SIAE ALTORFINAE ANTIST.

PATRONO AC PRAECEPTORE SVO  
AETERNUM VENERANDO

DIE XVII SEPTEMBR. A. E. C. CIO IO CCXXXII.  
AD DISPVVTANDVM EXERCITII CAVSSA

PROPONIT  
AVCTOR ET RESPONDENS  
GEORGIVS LAVENT. GOTTLIEB  
REIZIVS  
MARCOBREITA FRANCVS.

AL TORFII  
LITERIS IODOCI GUILIELMI KOHLESII ACAD. TYPOGR.

